

quibus in locis, præsertim nu. 8. 9. 10. multa egregia & scitu dignissima tractantur de obsessis, & unde cognosci possit, aliquem à Diabolo verè obsessum esse, tradit *Fridericus Balduinus* in tract. de casib. conscientia, lib. 3. c. 2. cas. 2. p. (mibi) 617. cas. 3. p. 623. cas. 4. p. 627. & casib. seqq. Vide Responsum Iuri in arduâ & gravi quâdam causâ concernente processum quendam contra sagam nulliter institutum, q. 2. n. 209. cum seqq.

ARTICULUS LIII.

Interrogationum ad similia attemperatio.

1. Vide artic. 24. Sagacis & prudentis Judicis esse dicit *Imperator*, ex enumeratis circumstantiis alias in aliis casibus secundùm qualitatem personæ & causæ colligere, quemadmodum eleganter *Arcadius* tradit, scilicet plurimum in excutienda, inquirendaq; veritate etiam vocé ipsam & cognitionis subtilem diligentiam adferre. Nam & sermone, *inquit*, & ex eo qua quis constantia, qua trepidatione quis diceret, vel cuius existimationis quisq; in civitate sua est, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt, *l. de minore*, §. tormenta, ff. de quest. Eo autem ordine, quo reus crimen enarrat, iisdemq; formalibus, quæ vocant, verbis in consignatione actuarius uti debet.

ARTICULUS LIV.

Veritas circumstantiarum non omittenda.

1. Unica circumstantiola variat jus. Ideoq; circumstantiæ, quæ totum hīc faciunt, non negligendæ, sed diligenter, quantum quidem certitudo & necessitas causæ postularit, explorandæ. Vide *Goblerum*, *Zieritzium*, in primis vero *Steph. hīc*, *Næv ad l. 40. num. 31. de question.* & *ad l. 6. C. n. 3. de lib. caus. Bus. ad l. 1. nu. 2.* & seqq. ff. *de accus.* & *ad l. 2. §. unde queri*, ff. *ad L. Iul. de adult.*

ARTICULUS LV.

Si confessiones false, confiteturq; ex inquisitione appareant.

1. Hic dolus & mendacium confessionis repetitâ torturâ, seu quæstione mulctandum. Consule *Gobler*. *Zieritz. Steph. hīc*. Non raro enim etiam haud innocentes in circumstantiis fallunt, spe freti, se hoc dolo (quamvis frustrâ) pœnas clusuros.

ARTICULUS LVI.

Circumstantiarum enarratio spontanea.

1. Suprà art. 31. conc. 1. clarè positum, quo pacto quis, si delictum aliquod dubium propter torturam, aut minas fatetur, de omnibus circumstantiis ejusdem delicti rogandus, ac desuper inquisitio, seu scrutinium faciendum sit, ad investigandam, evincendamq; veritatem. Quod tamen nonnunquam sic depravatur, cum in captivi deprehensione, aut quæstione illæ ipsæ circumstantiæ maleficii, secus quam oportet, pronunciantur, ac desuper interrogantur. Id-